LUNDS UNIVERSITETS ÅRSSKRIFT. Band 36. Afdeln. 1. N:r 4.

DE CORRECTURIS SECUNDAE MANUS IN CODICE VETERE PLAUTINO

SCRIPSIT

CLAES LINDSKOG.

LUNDAE MDCCCC
TYPIS EXPRESSIT E. MALMSTRÖM.

Qui ad Plauti fabulas recensendas operam studiumque summo cum fructu attulit, OSCAR SEYFFERT, is id quoque effecit, ut appareret quanti essent aestimandae correcturae a manu secunda in codice Vetere B factae. Recte enim perspexit, ex vetere fonte magnae auctoritatis magnique pretii hausisse correctorem illum. Quae ratio inter hunc librum a correctore adhibitum ceterosque Palatinae classis intercederet, et SEYFFERT saepe monuit neque infeliciter demonstrare conatus est LINDSAY (The Palatin text of Plautus 1896).

Sed totam rem cum penitus examinandam esse uiri in Plauti fabulis recensendis periti haud ignorarent, me monuit G. GOETZ, ut hunc laborem subirem. Neque postea praetermisit quin me in hoc opere conficiendo fulciret.

Gratum mihi est et illi me plurimum debere profiteri et SEYFFERTO, qui qua eximia est liberalitate mihi collecta sua tradidit utenda.

Multae sane sunt quaestiones ad correcturas manus secundae in Vetere ("B^2" vel "Bb") pertinentes, quae adhuc haud sunt solutae. Primum igitur unoquoque loco statuendum est quantum fieri potest, primane an secunda scripserit manus an alia. Nam ut saepissime non difficile est diiudicatu, quae manus correxerit, ita haud raro ualde dubitatur, utrum prima an secunda. Huius maiuscula quidem omnino est scriptura, neque atramentum eiusdem coloris neque calamus idem. Sed ut complures librarios in primae manus scriptura agnoscimus neque codex una manu exaratus est totus, ita correctoris B^2 quem uocamus scriptura, quamquam unius nimirum manus, tamen et calamo et atramento uariatur, ut et litterae primae manus ad secundae manus litteras interdum accedant et huius manus ad illius. Illius generis maxime perspicuum exemplum in folio 41 (in nouo quaternione incipiendo = Capt. 191—295) deprehendimus, ubi recentis manus, quae hic incipit neque diu scribere pergit, stilus ad similitudinem manus secundae adeo accedit, ut uix obloqui ausim dicenti hic ipsum correctorem unum folium uel fortasse duo scripsisse, nisi rationes »interiores» correcturas huius folii esse eiusdem generis atque ceterorum probent. Et correcturae cui manui sint tribuendae aestimare cum alias est difficile tum in rasuris, ubi et calamus et atramentum scilicet mutetur, et in expungendi signis et distinguendi et copulandi, ubi in lineolis uel punctis totum corrigendi genus constet. Neque qua ratione in corrigendo usus sit librarius obseruantes quidquam proficimus. Nam tales res a B^2 ualde uariantur. Exempli causa:

Capt. 921 ***amator// idomum.*** 923 ***amator// idomum.*** 924 ***amator;i domum,*** 925 ***amator.i domum*** (921 *i*, 923 *i*, 924 ;, 925 . a B² scriptum).

Sic facile intelligimus ab iis, qui antea codicem excusserunt, haud raro non esse adnotatum haec an illa manus correxerit — praesertim cum illo tempore praestantia harum correcturarum nondum esset perspecta. Equidem bis Romam me contuli, ut codicem inspicerem et denuo ex ipso codice in re haud minimi momenti plagulas corrigerem; haud paucis locis aliter iudicaui aliter legi quam ii, qui antea codicem perscrutati sunt. Neque fieri potest, quin in manibus discernendis sententiae interdum differant. Attamen in rebus maioris momenti cum notae exteriores non sufficiant, alio modo — ex intima rerum peruestigatione — discernere plerumque licet. Ubi haec lex est statuenda: si argumenta »interiora» ad B² spectant auctorem, neque oppugnant stilus atramentumque, B² correctorem fuisse credendum est.

Tum quanti aestimandae sint hae lectiones a B² allatae inuestigare oportet. Ubi et de genere omnino corrigendi agitur et unoquoque loco utrum e suo coniecerit corrector an e codice probatae fidei hauserit scire debemus. Quod ut consequamur, quaeritur, cuius ingenii omnino fuerit corrector, et imprimis certis rationibus si quas in corrigendo adhibuerit indagatis tutissimam uiam in lectionibus inibimus.

Et congestis quidem omnibus locis, quos satis probabile est ad coniecturam redire, eruditionem correctoris aestimare possumus: neque dubitabimus, inspectis ex. gr. Cas. 766, Epid. 400, Cas. 470, Epid. 89 al., quin supra modum illis temporibus inter librarios uulgarem non eminuerit ingenium nostri uiri. Feliciter sane, nam tanto maiorem fidem eius correcturis tribuamus, faciliusque coniecturae a ueris lectionibus secernantur. Id tantum moneo eum et latinae linguae haud sane inscium fuisse, ut ex quattuor postremarum fabularum perscrutatione etiam magis apparebit, et in rebus ut ita dicam graphicis — quod officio correctoris haud scio an perbene congruat — mirabili modo uersatum esse uideri: nam in mendis corrigendis facile intellexit unde oriri potuissent. De quo infra. Neque uero iam hic non dicendum, quo maiorem in legendo consuetudinem sermonis Plautini interpretandi comparare sibi ipse uisus sit, eo saepius audaciusque correctoris munere eum functum esse meris coniecturis fabulas maculantem: ut ex. gr. in Amph. et Asin. uix ullo loco pro certo affirmare ausim coniecturas inueniri, sic in Epidico (ne de quattuor extremis dicam, ubi alia questio!) tot fere coniecturae, quot in septem omnibus quae antecedunt fabulis.

Ad extremum de quattuor fabulis Bacch. Men. Merc. Mil. agetur. Nam ut de octo prioribus consentitur fere hic e fonte summae praestantiae hausisse correctorem, ita de illis haec quaestio nondum soluta. Nam ut plerisque locis temere coniecisse B² apparet, ita uno alteroue loco tam egregie, ut uix uideatur ad B² correctoris ingenium redire posse. Quare recte Seyffert monuit hanc quaestionem esse nondum absolutam neque solui posse nisi tota re perspecta.

Quibus praemonitis ad ipsas lectiones a B[2] introductas transgredior.

A. De octo prioribus fabulis.

Separatim tractabo eos locos, ubi B[2] I lacunam suppleuit, II uerba addidit ubi lacuna uerba omissa non indicauerat, III uerborum ordinem mutauit, IV uerba expunxit, V uarias lectiones et interpretationes intulit, VI alio modo correxit, VII personarum notas addidit mutauit deleuit.

Quam partitionem, quamquam ad exteriores tantum rationes relatam, ad ipsam rem feliciter conficiendam esse factam spero fore ut beneuolentes concedant lectores.

I. *B[2] lacunas suppleuit.*

Segregandae sunt eae lacunae, quae Veteris propriae fuerunt neque in ceteris Palatinis exsistunt, ab iis quae totius Palatinae classis communes fuerunt. Illae ad proximum archetypum (P) redeunt, hae aut ad P aut ad abauos.

a) Lacunae in Vetere a B[2] suppletae, quae in ceteris P codicibus non exsistunt (in lacunarum numero ea quoque adnotaui exempla ubi finis uersuum omissus est: quamquam hae saepe incuria librarii B[1] oriri potuerunt).

Asin. 940. ARG. Ego uero sequor. ART. *I domum*[1]). PH.
[sic uersus in B exit].

Capt. 209. Fugitiuos imitari. — LOR. Immo edepol, si erit occasio, haud dehortor.
[*occasio haud dehortor* add. B[2] ut uid.]

Capt 251. HE. Iam ego reuortar intro, si ex his quae uolo exquisiuero.
[*ego reuortar intro* add. B[2] ut uid.]

Capt. 593. *Jam* illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illunc iubes
[*Jam* in 6 litt. spat.]

Capt. 730. Interdius sub terra lapides *eximet.*
[*eximet* add. B[2] ut uid.]

Capt. 823. Eugepae: edictiones aedilicias hic quidem habet
[*pe edictiones edilicias hic quidem habet* add. B[2]]

Capt. 824. Mirumque adeost *ni hunc fecere aetoli sibi agoranomum.*
[*fecerunt* ceteri]

Capt. 832. Prius quam pultando [uel] assulatim foribus exitium adfero.
[*uel assultatī* : *tatī* in spat. B[2]; cf. V a.]

Capt. 909. *Diespiter* te deique, Ergasile, perdant et uentrem tuom

Capt. 920. Dicam, ut sibi penum alibi adornet, siquidem sese uti volet
[*se se uti uolet* B[2]]

Capt. 951. Vos ite intro: interibi ego ex hac statua uerberea uolo
[*ueruere auolo* B[2]]

Curc. 23. Numquid tu quod te aut genere indignum sit *tuo*

---

[1]) Ubi nil adnotaui, voces cursiuis litteris impressae a B[2] sunt scriptae.

Curc. 78. PA. Quasi tu lagoenam dicas, ubi uinum chium solet *esse.*

Curc. 85. Siquid super illi fuerit, id nobis sat est.

[*id nobis sat st* B²]

Curc. 99. Nam omnium unguentum odor prae tuo nauteast:
Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa

[*odor* — *cinnamum* unum uersum efficiunt in B. *nausea st* in lacuna B²]

Curc. 282. Nequem in cursu capite aut cubito aut pectore offendam *aut genu.*

Curc. 468. Ne nimio opere sumat operam, siquem conuentum *uelit*

Curc. 534. Sed *eapse illa qua excidionem facere condidici oppidis.*

Curc. 538. Sed eopse illo quo mactare soleo quoi nil debeo.

[*eopso illo quo mactare soleo quoi nichil debeo* add. B²]

Curc. 703. Siquidem uoltis quod decrero facere. — TH. Tibi permittimus.

[*qd decrero facere* in spat. circa 25 litt. B²]

Cas. 64. Is — ne exspectetis — hodie in hac *comoedia*

Cas. 347. Non ego istuc uerbum empsim titiuillicio

[*emissum tibi stalitio* B²]

Cas. 361. Fodico corculum: adsudascis iam ex metu, mastigia.

[*adsuda s°is iam exmetu mastigia* B²]

Cf. Cas. 390. Mihi ut sortito eueniat — ⟨CHA.⟩ Ut quidem hercle pedibus pendeas.

[*ut quidem* in spat. 9 litt. B²: fort. prius fuit *ut quidem* eras.] Cf. 389.

Cas. 488. Satin astu[te]? — *OL. Docte* — CHA. Age modo, fabricamini

[*Ol. Docte* add. B² in fine uersus]

Cas. 550. Propter operam illius irqui improbi edentuli

[*hirqui improbi edentuli* B²]

Cas. 583. Negauit posse, quoniam arcesso, mittere

[*arcess* ex *arcers* B¹ *arcesso* B²]

Cas. 722. Ita quoquo adueniunt, ubi ubi sunt, duplici damno dominos multant.

[*quo quo* B: prius *quo* add. B² in spat. 6 litt.]

Cf. Cas. 755. Quin tu i modo mecum domum. — LY. At pol malum metuo

[*i modo mecum domum* B² in lac.]

Cist. 679. Quis eam abstulerit *quisue* sustulerit . . .

Epid. 244. Mulieri quam liberare uolt amator. »quisnam is est?»

[*liberate* (sic!) B²]

Epid. 333. STR. Vae tibi, muricide homo. — CHAE. Qui tibi lubet mihi male loqui.

[*muri//cidę* in 7 litt. spat. B²]

Epid. 628. Qui perhibetur prius uenisset quam tu aduenisti *mihi.*

Pluribus igitur locis in fine uersus ubi scriptura facilius euanuit, interdum in medio aut ineunte, lacuna inuenitur.

Quae lacunae sic plerumque ortae esse uidentur, ut codex P mutilatus sit aut litterae alio modo euanuerint. Quod demonstrant imprimis Capt. 823, 824, ubi amborum uersuum maior pars omissa est. Neque nullius momenti ad rem expla-

nandam Cas. 722, ubi VE *epio* ex *quo* corruptum habet, B lacunam, P *quo* litteris subinde obscuratis et eiusdem generis Capt. 951, ubi EV *ueruerce auolo* uel *ueruece auolo* ex obscuratis litteris archetypi elicuit, B lacunam, B^2 *ueruere auolo* praebet. (Cf. fort. Capt. 429 *experiri* DOB^2: *experire* B^1, *experi* VE.) B^2 et hic et semper, ni fallor, ex suo ipsius codice Pb^2 [1]) expleuit. — Qua ex re id quoque uidetur concludi posse, P^{CD} et P^{EV} antea esse scriptos quam B [2]). — Interdum uoces difficiles intellectu (uel totum deinceps uersum) correctori scribendas tradidisse uidetur B^1, ut fort. Epid. 333, Curc. 534, 538, Cas. 347, 550.

Quae igitur corruptio quendam alterius paginae locum occupauit, eam ad alteram paginam eiusdem folii penetratam esse — de quo genere et Schoell et Seyffert saepe monuerunt — uix ullo loco certum perspicuumque est, ut nulla dubitatio de ea re remaneat. Sed haud scio, an non fortuito interuallo 33 uersuum lacunae Cas. 722 et 755, Cas. 550 et 583 distent [3]). In P codice Pseudoli 33 uersus in singulis paginis fuisse recte demonstrauit Lindsay (l. l. 17). Si illae a me collatae lacunae quidquam probent, Casinae saltem eundem numerum uersuum fuisse in P codicis singulis paginis uideas.

Plurimis locis B^2 cum CDEV consentit in his lacunis explendis. De Cas. 722 et Capt. 951 uide supra. Alio modo res se habet in Curc. 99, Cas. 361, ubi Pp [1]) *nau^{t}sea*, *adsuda^{o}sis*, quod B^2 religiose seruauit [4]) P codice correcturas omittente. Aliter Epid. 244, ubi Pp *liberaṙe* puncto supra *r* posito, quod B^2 item seruauit, P punctum obseruans *liberae* scripsit, et Cas. 347, ubi Seyffert recte *emisşum* in Pp statuit, ex quo VJ *emisim* expunctionem obseruans, B^{2}E *emissum*. — Curc. 538 *eopso* B^2 utrum uera lectio sit (cf. Lindsay l. l. 14) an ex *eopse* lapsu calami corrupta, diiudicare non ausim [5]). In Capt. 824 B^2 formam *fecere* (ceteri *fecerunt*) recte praebet.

Prorsus diuersi generis sunt additamenta quaedam in rasuris a B^2 facta, Aul. 330, 634, 692, Capt. 253, Cas. 381, Epid. 157, ubi B^2 uerbum uel uerba erasit, ut personae notam insereret, dein idem uerbum uel eadem uerba scripsit. Vide sub VII.

b) Rarius B^2 lacunas totius Palatinae classis communes suppleuit.

Primo loco commemorandus est Cist. 680 ⟨*Non sum*⟩ *scitior*, *quae hos rogem aut quae fatigem.* Quod Schoell (Praef. XXX) censuit uerba addita ex coniectura haud mala prodiisse, uix uerum est. Neque enim uerba tali modo ex coniectura alias suppleuit B^2 (uide infra), neque probabile est B^2 fortuito uersum in metrum conuenientem coegisse (quamquam talem coniecturam facilem quidem fuisse conceden-

---

[1]) Pb^2 = codex, quem secutus est B^2. Pp = archetypus codicis P.

[2]) Tamen de hac re pro certo quidquam statuere non ausim, priusquam quis testabitur, in CD et EV nullam uel nullam fere lacunam relictam esse, quae in B non inueniatur.

[3]) Ut iam hic res incerta, sic Capt. 823 et 857, 909 et 944, Curc. 67 et 99 adnotaui magis ne praeteriisse uiderer quam quod horum congruentiam quidquam probare crederem.

[4]) Cf. Curc. 289.

[5]) Cf. Mil. 605, ubi *Tuopto* B^2 mihi uid. scripsisse!

dum). Neque ad haec uerba lacunam in v. 701 temere a B² correctam respondere necesse est, sed fortasse v. 704 *mulier mane* quae ceteri codices omittunt: quamquam haec uerba manui correctoris non debemus.

Ut in his uersibus »scissuris fissurisue» exstiterunt lacunae, ita prorsus diuerso modo Epid. 593 *Numquid ego ibi, pater, peccaui.* Ubi A uerba *pater peccaui* seruauit, P omisit, B² *peccaui* addidit (in fine uersus; incipit sequens uersus a *Si hercle*). Quod mirabile sane uidetur: num *pater* excidit in Pp, dein *peccaui* in P? Immo prorsus alia causa! »*pater peccaui*» cum monachis nefarium inpiumque in fabula Plauti uideretur, librarius omisit, tum corrector, ne sententia obscuraretur, *peccaui* addidit, *pater* uerbo omisso: quo omisso scilicet sanctitas religionis inviolata manebat!

Tria genera exemplorum sunt, ubi non ad codicem sed ad coniecturam redire supplementum corrigentis manus aut certum est aut probabile:

1) ubi uox mutila expletur:

Cas. 680. In crastinum protolli: id huc missa sum tibi ut dicerem
[*di* B¹VE. *dicerem* JFZ cum As *dicam* B²]

Cas. 868. Eum ut | ludibrio habeas. — PAR. Lubens
[*lu* add. B² in lac., cum A ut uid.]

Cas. 871. sp]ectato hinc omnia, intus quid agant.
p]one me amabo.
[*sp* et *p* add. B² in lac., in initio uersus]

Cist. 11. Accepisti apud te, ut semper meminerimus.
[*meminer* B¹. *meminerimus* B²F. *memineris* VEJ. *meminerim* Z]

Epid. 19. TH. Quid tibi uis dicam nisi quod est? — EP. Ut illi respon * * *
TH. Probe.
[*respondi* B² suppleuit]

Epid. 311. Ne ulmos parasitos faciat, quae usque attondeant.
[*attonde* B¹. *attondeant* B². *attondeant* ex *attonedat* E. *attondeat* JFZ.]

Epid. 599. PHI. Quid si seruo aliter uisumst, non poteras nouisse, obsecro?
[*nouis* B¹E. *nouisse* B²]

Epid. 623. Usque ab unguiculo ad capillum summumst festiuissuma.
[*festiuistiuissima* A. ///*festu uissima* B, sed *sima* B² et *si* in ras. *stest*||*uiss* E¹. *estesta uise* E³. *est est tu uise* J]

Epid. 624. Estne consimilis, quasi quom signum pictum pulcre aspexeris?
[*consimilis* A. *cons* B¹E¹. *considera* B². *conspice* E³J]

Cas. 680, Epid. 19, 624 falsum supplementum coniicientis esse apparet, Cas. 868, 871 (cum quibus conf. Cas. 882 infra), Cist. 11, Epid. 311, 599 cuilibet correctori linguae latinae gnaro facile in mentem uenire potuit id, quod addidit B². Et ne Epid. 623 quidem ad coniecturam non redire statuere ausim.

2) ubi uox additur aut sequenti aut antecedenti simillima. Quale uerbum perspectum habuit B² (cf. pag. 1) perfacile librarii oculos calamumque praeterire potuisse. Tali modo B² correxisse, magis in sequenti disputatione apparebit quam ex hoc uno exemplo, quod nunc dabo:

Cas. 882. Sed tam[en] tenebrae ibi erant [tam]quam in puteo: »dum senex abest, decumbe« inquam.

[*tamquam* *nec abste decumbe* B¹, *nox* add. in lac. B²]

3) ubi paruula uox particulaue sententiae propriae uacua explicandi causa uel ad supplementum inserta additur, ut *est et que* tal.

Cas. 378. Vide quid scriptum *est*. — OL. Unum. — . . . . .

Cist. 642. ME. Quid tibist? — SE. Alcesimarchum uon uides? ferrum tenens*t*.

Epid. 72. EP. Eu edepol res turbulentas*t*.

Epid. 608. Neque illam adducit quae * * praeda. sed eccum . . . .

[*est* add. B² in ras.]

In Epid. 608 apparet uerbum *est*, siue additum est siue ex alio uerbo (*ex?*) correctum, meram coniecturam esse.

Ex his coniicere licet, correctorem quem uoco B² religiose quodammodo in lacunis explendis (et uerbis sine lacuna omissis addendis, cf. infra) egisse, ut mutila quidem uerba cum posset expleret (cuius igitur generis supplementis uix ullam auctoritatem tribuere possimus nisi re alio modo probata), integra autem uerba non addidisse nisi aut paruulas voces, quales sunt *est et que* sim., — in quibus temere addendis B² cum plerisque librariis peccauit — aut uocem sequenti uel antecedenti uoci similem, de quo supra.

Denique adnotandum, interdum in initio nouae scaenae primam litteram uel primas litteras omisisse B¹ (cum P), addidisse B²: cuius rei rationes dare non opus est. Exempla sunt: Curc. 280, 371, 463, 487, 557, 591, 599, 635, 679, Cas. Arg. 1, 89.

II. B² *uerba addidit ubi lacuna uerba omissa non indicauerat.*
(Cf. etiam III, 2.)

Persaepe B² uerba addidit, quae incuria ipsius librarii B¹ omissa sunt: quae cum in ceteris Palatinae recensionis codicibus seruata sint, additamenta correctoris hic quidem nobis haud magni momenti sint, nisi ut confirment ceterorum lectionem. Quare de his uerbis additis nil addere opus est [1]).

Sed maius emolumentum sane afferunt quae addidit uerba corrector, cum iam in archetypo P ea defuissse consensu ceterorum codicum scimus. Utrum hic e codice an e sua coniectura hauserit B², facilius plerumque iudicare possumus hic quam in priore genere, ubi lacuna uocem uel uoces omissas indicaret. Imprimis adiuuamur deliberantes, correctorem leges uersificationis Plautinae ne leuiter quidem cognitas habuisse et consentaneum esse et probari posse (coll. ex. gr. Cas. 470 *abeo rus*).

[1]) Id solum admonefacere libet, interdum iam in archetypo uerbum additum esse supra lineam apparere, ut Asin. 19 *quam tu* (*tu* s. v. BD.) Capt. 369.

Rem igitur diiudicare possumus ad has normas:

Quae addita metrum restituebant, per sensum autem omitti poterant, certe e codice petita sunt.

Quae addita et ad sententiam restituendam opus sunt et metrum explent, per se quodque examinari oportet: quo facilius additamentum, eo incertius iudicium, quo remotius, eo ueri similius e codice haustum esse. Imprimis ea exempla minorem auctoritatem habent, ubi uox addita uoci proximae similis uisu est, uel *est que et* talia adduntur (cf. supra p. VII).

Adnotabo iam ea exempla, quae e codice Pb² esse petita mihi persuasi.

1) Qui integri uersus a B² adduntur, eos e codice esse uix opus est dicere:

Amph. 755. Alc. Ego uero, ac falsum dice[re.
Neque tu illi neque mihi uiro ipsi credis?
[*re* in *dicere* euanuit. *michi*]

Aul. 454. Temperi, postquam impleuisti fusti fissorum caput.
Intro abite: opera huc conductast uostra, non oratio.
[v. 454 om B¹: add. B² in marg. praemissa nota *coc'*
v. 454. *Intro abi* (*ntro* in ras. et *I* ex *T* B²). *Temperi abi* DJ.]

Cas. 376. Postremo ⟨si⟩ illuc quod uolumus eueniet, gaudebimus
[B² post v. 375 add. *hđ* eademque in marg. infer. add.:
Postremo illuc qđ uolumus eueniđ gaudebimus]

Cist. 749. Mea haec erilis gestitauit filia —
Lamp. Mentiris: nam mea gestitauit, non tua. —
Phan. Ne obloquere. — Lamp. Taceo. — Phan. Mulier, perge dicere.
[*filia .... gestitauit* (*sti* ex *sta*) B² solus in ras., ubi haud dubie uerba *non tua ... taceo* scriptum fuerat, quae B² deinde addidit]

Epid. 416—419. Quia Thebis saluos redierit. — Pe. Rectam instituit.
Ap. Immo ipsus illi dixit conductam esse eam,
Quae hic administraret ad rem diuinam tibi.
Facturum hoc dixit rem esse diuinam tibi domi.
[*saluus. recte. quę*]

2) Verba addita metrum restituunt, per sensum omitti possunt.

Amph. 156. Inde cras *quasi* e promptaria cella depromar ad flagrum.

Amph. 199. Nam quom pugnabant maxume, ego *tum* fugiebam maxume.

Amph. 669. Am. Quid tibist? — So. Ad aquam praebendam *commodum* adueni domum
[*comodum*]

Asin. 112. Nequid nocere possit, quom *tu* mihi tua

Aul. 251. Impero auctorque ⟨ego⟩ sum, ut *tu* me quoi uis castrandum loces.

Aul. 696. Lyc. *I*, iam sequor te, mater. sed seruom meum [1]).

---

[1]) Cf. Aul. 800. I intro, exquaere, sitne ita ut ego praedico.
[*I* add. rubr.: om. P.]

Capt. 609. Istic qui uolt uinciatur. — AR. Tace modo: ego *te*, Philocrates
Cas. 4. U uos mi *esse* aequos iam inde a principio sciam.
Cas. 247. Si ego in os meum *hodie* uini guttam indidi.
Cas. 722. Ita quoquo adueniunt, ubi ubi sunt, duplici damno *dominos* multant.
Curc. 167. PH. Est lepida. — PA. Nimis lepida. — PH. Sum deus. — PA. Immo *homo* haud magni preti.
Curc. 467. Commonstrabo quo in quemque hominem *facile* inueniatis loco

3) Verba addita etiam ad sensum necessaria sunt:
Asin. 651. Sed tibi *si* uiginti minae argenti proferentur [cf. infra Epid. 468].
Cas. 500. Consulere quid emam *potero*. — LY. Aequom oras: abi.
Curc. 116. Adfert potionem et *sitim* sedatum it.
Cf. Capt. 253, ubi *in* fort. add. B^2.

In his omnibus exemplis quin e suo codice corrector hauserit, non dubito.

Incerta res est iis locis, ubi correctorem e coniectura addere et alias et hoc in genere solere exempla ipsa probant:

1) uox mutila expletur:
Capt. 59. Quia bellum Aetolis esse dixi cum Aleis
[*dix* B^1DE, *dixi* B^2]
Epid. 39. TH. Supersede istis rebus iam. — EP. Tu ipse ubi lubet finem face.
[*super sed* B^1V. *super set* E. *super sed^e* B^2]

2) uerbum additum proximae uoci simile est (cf. etiam Cas. 384 infra):
Aul. 372. Ut bene haberem *me* filiai nuptiis.
Cist. 498. Sei illam uxorem duxero umquam, mihi quam despondit pater.
[sic A. *duxero mihi um(n)quam* EVB^1. *duxero mihi unquam quam* B^2E^3J]
Cist. 501. Quam *me* meamque rem perire et ludificari filiam.
Epid. 468. *Si* sexaginta mihi denumerantur minae.
(Cf. Curc. 610 *eccum* P. *quem* add. B^1. Aul. 800 *I intro*]. *I* add. B rubr. V^2.)

In his exemplis ubi recte addita sunt uerba, utrum e codice an e coniectura hauserit B^2, discerni non potest. Coniicientis esse apparet:
Asin. 456. LI. Erus istunc nouit atque erum hic. — ME. Ero huic praesente reddam.
[*praesente* P. (*praesentẽ* E^1.). *praesente te* B^2. pro *ero* P habet *ego!* post *praesente* spatium 2—3 litt. D: ex quo uix de archetypi scriptura aliquid concludere licet. Cf. etiam E.]

3) Adduntur *est et -que* sim. Nam in talibus rebus librarii nimiam curam non adhibent. Et explicandi causa addita saepe alias quoque inueniuntur. Cf. ex. c. Cas. 768 VEJ.
Aul. 722. Tantum gemiti et mali maestitiaeque hic dies mi optulit, famem et pauperiem
[*mestitiaeque* B^2. *mestitiae* ceteri cum Prisciano, Nonio].

Amph. 39. Debetis uelle quae uelimus: meruimus
[post *uelimus* * s. v. add. B² ut uid. [1])]

Cas. 384. Sed mane dum: num ista aut populna sors aut abiegnast tua?
[*abiegnas* B¹V. *abiegnā* E¹. *abiegnast* B².]

Curc. 3. Quo Venus Cupidoque imperat, suadet Amor
[*suadet* B¹. *suadetque* B²EV]
Cf. Curc. 159 Nequod [*q*' s. v. B²]

His correcturis quid auctoritatis tribuere liceat, ipse uideas. In Curc. 3 iam in archetypo *que* est superscriptum ut uid.: quod B¹ omisit, ceteri cum B² seruarunt.

De Aul. 722 tantum dicendum. Ubi codices *mestitiae*, lectio *mestitiaeque* soli B² debetur. Sed in hac ipsa correctura non tantam, quantam ceteris in rebus, auctoritatem B² habet. Nonne haec coniectura mera correctoris est, eodem modo quo Priscianus apertum uitium lectione *malae* emendare conatus est? — Certe corruptela peruetusta est, ut ex Nonio et Prisciano uidetur. Quo modo explicetur, difficile est dicere. Id tantum mihi persuasi, ę ante *et* in B² (ex quo deinde in P *gemit te et*) et ex codice Pb² esse haustum et cum lectione *malae* pro *mali*(cf. Priscianus) cohaerere. Fortasse uera lectio est: *tantum gemiti mali maestitiae*, quod progenuit (ę supra *i* uerbi *mali* posito et falso loco scripto) *tantum gemiti* ę *mali*, tum (ę falso intellecto et suprascripto *et*) *tantum gemiti* ę *et mali maestitiae*. Sed ne haec quidem sententia nimis mihi ipsi placet — et fortasse tamen credendum apud B² ueram scripturam esse, seu e coniectura feliciter facta seu e codice haustam. —

Postremo adnotandum, in Amph. 50 *Nunc quam rem oratum huc ueni primum proloquar* esse suprascriptum *ob* inter *quam* et *rem* (a B²?), propter peruulgatam formulam *quam ob rem*.

III. *B² uerborum ordinem mutauit.*

Duo sunt discernenda genera: nam aut 1) B² uerborum ordinem proprie mutauit aut 2) uerbum uel uerba, quae in B¹ desunt, addidit alio loco quam in P exsistunt.

1) In Epid. 402 uerba *concludi uolo*, quae in P post v. 399 aberrarunt, reposuit B² (et v. 399 erasit). Explicationem aberrationis recte attulit Lindsay, An introduction to Latin textual emend., p. 34. Item Capt. 58 *esse* deleuit B², v. 59 reposuit. Et hic et illic certe e Pb².

In Cas. 276 pro *autem illa* scripsit *illa autem:* in archetypo fortasse *autem* / *illa*

In Aul. 263 *uis me* est mutatum (a B²?) in *me uis* (litteris *a b* positis) [2]: — et sic Plautus semper fere scribit, cf. Seyffert, Jahresber. 1894, II p. 238.

Miro modo ad Asin. 290 in margine a B² est scriptum: *quid ais custos carceris* et 297 *quid agis custos carceris* lineola subduxit eadem manus, ut uidetur. Duae

[1]) Obseruandum est, totum uersum in unam coactum esse sententiam interpunctione post (non ante) *meruimus* posita.

[2]) In apparatu critico editorum falso *me uis* correctum esse in *uis me* dicitur.

rationes, si quid uideo, possunt ad hanc rem explicandam afferri. Id certum uidetur, in codice suo ita legisse B^2 uerba in v. 290 scripta. Sed aut per incuriam omissa uerba supra primam lineam paginae scripsit librarius quidam, signo quo referrentur adposito: quo non intellecto deinde uel B^2 uel unus e prioribus uerba falso posuit (cf. SPENGEL, Krit. Pros. Metr. p. 49); aut hic uestigia reperimus alterius recensionis, ubi dedita opera contextum abbreuiare uoluerunt, ut etiam aliis locis haud desunt talis studii uestigia (cf. Leo Pl. F. p. 8): sed ut concedendum est, uersus inter 290 et 297 intercedentes quodammodo molestos esse, sic fortasse, tali modo si rem explicemus, offendat quod uerba addita non in initio uersus, sed in medio leguntur.

2)

Capt. 512. Dico eum esse apud me: hic extemplo orat obsecratque
[*esse eum* B (*eum* s. v. B^2). *eum esse* ceteri]

Curc. 706. Dicendi, non rem perdendi gratia haec natast mihi.
[*gratia hec* B^2. *gratia* B^1. *hec* (v. *haec*) *gratia* ceteri]

Cist. 645. Tu nunc, si ego uolo seu nolo, sola me ut uiuam facis.
[*sola me* E. *solame* V. *me sola* B^2. *me* B^1]

Epid. 295. Atque argentum ego cum hoc feram. — PE. Quanti emi potest minumo? — EP. Illane?
[*EP. Illane* add. B^2: om. ceteri, sed in v. 294 *Epid. illane* addid. E]

Ut haec differentia ordinis explicetur, refugere quidem liceat ad incuriam quandam correctoris, qui falso loco uerbum posuerit (ut in minoribus rebus *pora'm*, *antr'axalio*); sed multo potius crediderim in archetypo ipso uerbum, de quo agitur, antea esse omissum, tum supra lineam uel in margine positum [1]): ex quo euenit, ut in aliis codicibus prorsus non legatur, in aliis alio loco. Sic in Epid. 295 *Ep. illane* supra lineam in fine uersus scriptum (aut incuria antea omissum aut propter angustias spatii) ad v. 294 transtulerunt scriptores librarii. — Sed quia semper cogitari potest, B^2 per incuriam temere scripsisse, non tantam auctoritatem eius scripturae tribuendam apparet: Curc. 706 metri ratione apparet correctorem haud temere scripsisse, Cist. 645 editores merito EV secuti sunt, Capt. 513 uix discerni res potest (edit. cum EV.).

IV. ***B^2 uerba expunxit.***

Exempla sunt:

Asin. 373. Hercle uero tu cauebis ne me attingas, si sapis
[*si me sapis: me* del. B^2]

Aul. 591. Sin dormitet, ita dormitet, seruom se ⟨es⟩se ut cogitet.
[*seruum* DJ, *seruum seruum* B, post. *seruum* del. B^2.]

---

[1]) Cf. Amph. 572 *id ita* (*ita* s. v. B^1) B, *id ita* ex *ita id* E. Aul. 48 *hercle hodie*] *hodie* (*hercle* s. v. B^2) B, *hodie hercle* ceteri. Et imprimis Capt. 333 *hominum es homo* JFZ et D e corr. *hominum homo es* B et D ante corr. *hominum homo* E. *hominum esse homo* V. Amph. 782.

Aul. 807. Meum factum ex gnatae pedisequa nutrice anu: ea rem uouit.
[*gnatumfactum* B, *gnatum* del. B^2(?)]

Capt. 564. Male loqui mi audes? non ego te noui? — HE. Pol planum id quidemst
[*mihi loqui mihi* B, exp. *mihi* post. B^2]

Capt. 599. HE. † Hercle quid si hunc conprehendi iusserim? — TYN. Sapias magis.
[*Hercle* EV et B^1, ut uid.; *Quid* B^2 in ras., *quid* sequenti deleto]

Cist. Arg. 6. Lemno post rediens ducit quam compresserat
[*com conpresserat* P: *com* deleuit B^2]

Cist. 48. Nam si quidem ita eris, ut uolo, numquam † et haec ate fies
[*& haec ate* B^1, *&* del. B^2 et *haecate coni.*]

Epid. 343. Ut importem in coloniam hunc † auspicio commeatum
[*hunc Hunc*, *hunc* del. B^2]

Epid. 487. Meum gnatum : is ipse hanc destinauit fidicinam.
[sic A. *hanc . . . . . fidicinam* JZ. *hanc fidicinam emit fidicinam* B^1,
fidicinam posteriore loco del. B^2]

Epid. 600. Quid ego, qui illam ut preimum uidi, numquam uidi postea.
[sic A. *primam qui* P, *qui* del. et *primum* ex *primam* B^2]
De Aul. 537 cf. Va.

In plurimis horum exemplorum unum uerbum bis scriptum est — siue alterum iuxta alterum, siue spatio unius uerbi uel duorum (cf. Leo F. p. 7). Correctori expungenti his in exemplis uix ulla auctoritas danda est: apparet eum semper posteriorem uocem delesse (excepto Epid. 345, ubi *Hunc* posteriore uoce nouus uersus incipit) : sic temere Capt. 564, Epid. 487.

Etiam Cist. 48 expunctionem signi *&* merae coniecturae tribuo (cf. supra p. VII, IX).

Contra Asin. 373 *me* et Epid. 600 *qui* haud scio an expungens B^2 codicem suum secutus sit — quamquam nil pro certo afferri potest.

Sed haec haud magni momenti, quo modo iudicemus. Maiorem fructum afferet mea quidem sententia correctura Capt. 599 facta. Ubi G.-S. crucem posuit, Leo parum feliciter scripsit: *hercle quid si hunc comprehendi iusseris, sapias magis*, uerba Tyndaro tribuens. Immo in ipso *Hercle* mendum latet. Hic B^2 pro *Hercle quid* — sic quin antea fuerit non dubium est — scripsit *Quid*. Hanc correcturam ad Pb^2 redire iam inde elucet, quod cur B^2 *Hercle* eraserit alio modo non intelligamus. Quin ipsum genus corrigendi modusque (non *Hercle* simpliciter expunctum uel erasum, sed *Quid* in ras. uocis *Hercle* et tum *quid* erasum [1]) haud scio an hanc meam sententiam commendet. Quae cum ita sint, lectioni correctoris ut e codice Pb^2 absque dubio petitae maior auctoritas est. Accedit quod explicare licet unde illud *Hercle* redundarit. Nam librarius quidam, qui personae notam *He* non intellexit, suprascripsit falsam coniecturam *Hercle* [2]): postea in contextum. Vera igitur lectio est: He. *Quid si hunc comprehendi iusserim?* — Tynd. *Sapias*

[1]) Sic tamen fortasse quia uersus ab hoc uerbo incipit. Sed cf. Cas. 470 Viros⟩ rus!

[2]) Cf. Men 536 illae] iclae B^1C. erclae D^3. hercle FZ.

magis : ubi quid excidisse uideas sic ex. gr. explendum: He. *Quid si* ⟨*nunc*⟩ *hunc comprehendi iusserim?* — Tynd. *sapias magis* (ita *nunc hunc* Plautus alias coniunxit haud raro).

V. *B² uarias lectiones et interpretationes intulit.*

In archetypi codicum P octo prioribus saltem fabulis saepe lectiones uariae adscriptae sunt. Quae nunc ab alterius nunc ab alterius codicis librariis sunt seruatae: interdum etiam a B² correctore. Qui cum solus uariam lectionem intulit, utrum iam in archetypo uaria lectio fuerit necne, uix discerni potest. Atque hae lectiones aut ad uetustiorem aetatem et fortasse ad πρωταρχέτυπον redeunt (ut fort. Asin. 38 *quae*, ł *qui* B²) aut posteriorum sunt temporum, cuius rei praeclarissimum est exemplum Capt. 259 *aequomst uitio*, ubi *equõ stulcio* P, ł *stulte* B².

a) In archetypo uariam lectionem exstitisse ex aliorum codicum consensu concludere possumus: et hic quidem illa quoque exempla, intra parentesin, adnotabo, ubi B² nil habet, quippe quae multitudinem uariarum lectionum in archetypo demonstrent.

1) signum uariae lectionis in uno uel altero codice adscriptum est (ł, uł, ał): Amph. 167 *diuitis* B² (?). ł *diuitis* J. *diuitiis* DE. *diuiciis* B¹. Amph. 406 *nunc isto : ał hic* B². *nunc hic sto* J. Amph. 647 *belli redeat* B¹. *ał clueat* B². *belli reducat* EJZ. *belli* (uł s. v.) *ducat* D. Amph. 676 *salutat* (*at* in lit.) B. *salutet* DEJ (ł *tat* s. v. J.) Asin. 32b *pransitant : ał pinsitant* B²D. Asin. 80 *quoi* (ł *cui* B²) B. *cui* J. [Asin 86 *sit*, ł *est* s. v. D. *sit* ł *ē* E. Asin. 121 *mauolet*, s. v. ał (ł E) *magis uolet* DE. Asin. 626 ł *quid qd* D. Asin. 670 *confringantur ał. confricantur* B. *confringantur ał. confringantur* E. *confringantur ADOL. confringantur* D] Asin. 694 *monerulā* : ł *monedulā* s. v. B² (?) D. [Aul. 121 *hęc* (s. v. ł *hoc*) B. *haec* (s. v. ł *hoc*) D. *haec* ł *hoc* E.] Capt. 72 *clio* B¹ (*uł dico* B²) *clio* D. *dio* E¹. *dico* E³JFZ. Cist. 533 ł *licet* B² in marg. E³ (*ał*) F. *leget* B¹VEJZ. Curc. 101 *telium*, in marg. ł *pdellium* (*de* B² e corr.) B. *alp telliu telinu* E¹. *alp telliū telinu* E³. *ałp telliū telinū* V. *ptellium* (ł *tellinū* s. v.) J. [Curc. 125 *homines*, in marg. ł *omnes* B. *ał omīs homines* E(V) (et J u. 124 super *propinantes : aliter oms homines*). Epid. 37 *scrutariis : ał* ¹) *scutariis* in marg. B. Epid. 107 *bono*, s. v. ł *probo* BJ. Epid. 139 *piacularem* : in marg. ł *peculiarē* B. Epid. 164 *diciam* BZ. *ał ditiā Dicā* V, *dicam* : in marg. *ał ditiā* rubr. E. Epid. 273 *hunc* : in marg. *ał hic* B. *hic hunc* JFZ]. Cf. fort. Epid. 378 *me equidem* B². *met quidem* B (unde *med quidem* Ritschl).

2) signum uariae lectionis in ipso contextu unius uel plurium codicum latet: [Amph. 632 *ret e ueniant* B (DE). *re te ueniant* J (ł s. *re!*)]. Amph. 678 *uero* (*o* ex *ū*) *rumificant* (ras. s. *u*) D. *uerorum mirificant* B (*ri* s. v. B²) E. *uero aliter uirorum ificant rummificant* J. Amph. 682 *deriduliculi* B (corr. B²?) *deriduculi* J (i. e. *deriduculi*, ł *i* s. *u* 1 P). [Amph. 777 *edepollarum arum* E *edepollarum* (s. v. *aliter ararum*) *harum* J. Amph. 884 *at clamitat* B. *adclamitat* E. *acclamitat* ex *atque clamitat* D. Asin. 485

¹) Goetz *ał* in sua edit. omisit.

erum me (GS et Leo *erum nos*) *erum nosmet* P. Asin. 589 *Quo cui* B. *cui quoi* E. *cui* DJ. Asin. 593 *quoi* (s. v. *cui*) B. *quoi cui* E. *cui* DJ. Asin. 688 *te] te et tu* B. *et tu* DEJFZ (i. e. *te* ł *tu* P). Aul. 279 *minixtum* : in marg. *uellene mixtum* BD. Capt. 349 *fidem] uice* (*uicē* E) *fidem* BDE. *fidem uel uicem* J. Capt. 696 *rebitet] redibit et* P. Capt. 832 *assulatim] uel assultati* B (*tati* B² in spat). *uel absultatī* ł *assultatim* E. *uel assultatim* J.]

In uno uel altero horum exemplorum (ut Capt. 696) res est incerta.

Has uarias lectiones partim ex interpretatione profectas esse credibile uidetur. Sed apertae in ipso archetypo interpretationes his in exemplis deprehenduntur:

Amph. 73 *Sirempse] Si similem rem ipse* BDJ. Amph. 631 *simitu* BF(E). *simul* ex *simitu* D. *simul* B in marg. J. Amph. 773 *illam] pateram illam* P. Asin. 1 *sultis* E. *sultis*, sed *iu* s. v. D. *si uultis* BJ. Asin. 96 *me*, s. v. *arte* D. *me arte* B. Asin. 675 *illum* : .*i*. *libanum* s. v. BD. Asin. 676 *hanc* : *i*. *cruminā* s. v. BD. Aul. 60 s. v. *hoc secum loquitur* BD. Aul. 67 *Noe num* : *ꝓ non* s. v. BD. Aul. 537 *edi] di* D. *di audiui* B¹V *edi id audiui* B² (linea sub *audiui* expungendi causa!) *audiui* J. Epid. 42 *patrem uidere senem* P. Cf. Aul. 615.

In singulis quoque codicibus passim tales interpretationes inueniuntur: sic B Epid. 51, 62, 113, 253. D Asin. 676, Aul. 58, 62, 63, 71, 79, 237, 611, 612, 613, 614, 616 al.

b) B² solus uarias lectiones praebet. Ubi hae lectiones ueram scripturam (pro falsa ceterorum) restituerunt, crediderim non uariam lectionem in archetypo exstitisse, sed B² in suo codice hanc scripturam inuenisse; credi enim potest, B² et suum codicem et codicem P ante oculos habuisse: cum hi discreparent, aut simpliciter correxisse aut notam lectionis uariae addidisse in discrepantia duorum codicum. Huius generis possunt esse: Amph. 175 *opus* : *al onus*, 178 *potuit* : *al potiuit*, 321 *numquam* : *al nam*, Aul. 549 *ese natus euocas* : ł *ita esenatu seuocas*, Capt. 262 *ignari* : ł *ingnaui*, 436 *desideras*: ł *deseras*, Curc. 356 *animulum* : *al anulum* (si haec scriptura uera est: quod negat Leo ad h. l.)

Varia lectio potest in archetypo fuisse Amph. 303 *primum* : *al pridem*, Asin. 38 *quae* : ł *qui*. Dubitaui de Cist. 738 *quoi dat* : ł *quoidam*. Amph. 218 *legiones reducunt* : ł *se* (s. v.) uidetur ad falsam distinctionem *legione seducunt* redire (*s* extremam fortasse correctoris esse adnotaui).

Falsae lectiones ad uarias lectiones codicis Pb² (et archetypi Pp?) redeuntes his locis exsistunt: Asin. 266 *obsceruauit*, *a* s. *e* B² et *al obseruauit* s. v. Aul. 691 *uterum* : *al uterus*, Epid. 119 *quam foro* : ł *quam tefore*, 185 *exenterem* : ł *extenterem*, 334 *latis* : ł *latras*. Capt. 259 *equō stulcio* : ł *stulte*, 380 *rebitas* : ł *redeas* (cf. Capt. 72).

Etiam has uarias lectiones partim ex interpretatione profectas esse credibile. Apertae interpretationes sunt: Aul. 355 *temeti* : s. v. .*i*. *uini*. Aul. 389 *compilor* : s. v. *spolior*, Aul. 601 *censeonebubula* : *ul carne*. Cas. 766 *oppo* : *id abundanter*. Epid. 400 *siriseū* : in marg. *siriscū nom ꝓpū*. Cf. fort. Epid. 668 *adipisci* B², *apisci* B¹.

Epid. 62 *inte*, suprascr. *strate*. Cf. insuper *o* littera addita (ut uocatiuus significetur) Asin. 540, Cist. 727.

Interdum a B² addita sunt signa, neque addita tamen uerba, quo referrentur: Epid. 604, 617, 620, 626 (*ꜫp* s. v.). Cf. fort. Curc. 159 *Ne'quod* (coll. ex. c Ep. 51). Denique fortasse est adnotandum Cist. 115 *amiculum*, ubi *t* fort. = ł? Cas. 688 *pardalisca?*

VI.

a) Iam in archetypo multis locis correxerat librarius. Et certum quidem est, in archetypo correctum esse, cum et in B et in alio codice ipsa correctura (simul cum priore lectione) remanet, uel ex. c. in B correctura est, ceteri autem codices alii cum B¹, alii cum correctore faciunt; probabile, cum ex. c. B¹V congruunt contra DE — neque enim hic certum, nam in eandem coniecturam duo librarii incidere potuerunt.

Et sic potissimum aliae in aliis codicibus exstiterunt lectiones, ut correcturam hic obseruauerit, hic non obseruauerit. Ita imprimis signum expunctionis saepe non animadvertit librarius, saepe etiam falso intellexit correcturam: ut ex. c. *a* (*o* s. v.) fieri potuit *a*, *o*, *ao*, *oa*. Cum quo conferenda sunt ea quoque exempla, ubi talia signa qualia sunt ˜ - sim. non obseruantur: cuius quoque generis exempla hic dabo.

Nonnullis locis res est incerta. Intra parentesin ea posui exempla, ubi B² nil habet; nam hic quoque talia exempla afferre uolui.

Amph. 92 *inuocarunt* B² (ex *inuocauerunt*) DE. *inuocauerunt* J. Amph. 116 *admiremini* B² E *admiraemini* B¹D. Amph. 256 *adnos* ex *annos* B²D. Amph. 275 *iugulae* B²(E). *uigulae* B¹(D). Amph. 295 *perii dentes* B corr. D. *perlidentes* B¹E. [Amph. 336 *terrarim*, *u* s. *i* BD]. Amph. 383 *aiebas* B ras. D². *alebas* B¹D¹E. Amph. 398 *uiuus* (*uus* in lit.) B²(?)D² (D¹ *uiuū* ex *uius*) J. *uius* E. Amph. 461 *ignorabit* (*i* 2 ex *a*) B. *ignorabit* D. *ignorabat* E. Amph. 477 *probrium* B²EJ. *proprium* B¹D. Amph. 636 *qd* ex *qđ* B. *quod* ex *qd* D. *quod* EJ. Amph 638 *uidendi* (*d* 1 ex *u*) B. *uidendi* D. *uiuendi* E. Amph. 672 *creduis* B² D. *credius* B¹E(D²?). Amph. 678 *adeo* B²D¹E². *abeo* B¹D²E¹. *abeo* ł *adeo* s. v. J (cf. supra V a). Amph. 678 *uero rumificant* D (ras. s. *u*) *uerorum mirificant* B (*ri* s. v.B²) E. *uirorum ificant* J. Amph. 700 *Hic* EB². *Hci* B¹D. [Amph. 707 *crabrones* DE corr. *crabones* BE²]. Amph. 743 *abii hinc hodie* D. *abiih‿inhodie* (*c* s. v.) B. *abii hin hodie* E. Amph. 754 *ipsos* (*u* s. v.) B², *ipsos* (*u* s. v.) D. *ipsos* B¹E. Amph. 759 *aduenire* B²D². *aduenere* B¹D¹E. Amph. 765 *demiror] demimor* E. *dem'rnor (rn* ex *m)* B. (*i* s. v. B²) *dimiror* ex *demireor* D ras. *demiror* ex *deminor* J². [Amph. 766 *sciat* E. *sciat* in ras. B, ubi m. 1 in marg. *sciat* repetiuit. *sciat* ex *sicat* D]. Amph. 770 *proferto* ex *profecto* BD. *profecto* EJ. Amph. 793 *crutiatu iam* BD (ex *sam* D, ex *lam* B²). *cruciatulam* J. *cruci attulam* E. [Amph. 806 *dicat* B corr. E. *dicit* B¹D]. Amph. 807 *aiebas* ex *alebas* D. *alaebas* E. *aiebas* ex *aiabas* B². Amph. 849 *naucratem* ex *naucratam* B²(?)D. *naucratam* EJ. [Amph. 977 *praesens* D²J². *praeses* BD¹E. Amph.

